

Martínek, Jan

**Bohuslaus Hassensteinius a Lobkowicz meliorne poeta an orator fuerit**

In: *Classica atque mediaevalia Jaroslao Ludvíkovský octogenario oblata.*

Češka, Josef (editor). Vyd. 1. Brno: Universita J.E. Purkyně, 1975, pp.

247-252

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/121190>

Access Date: 21. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

Jan Martínek

Praha

BOHUSLAUS HASSENSTEINIUS A LOBKOWICZ  
MELIORNE POETA AN ORATOR FUERIT

Cum plerique auctores 15. saeculo memoriam antiquitatis in Bohemia et Moravia renovantes solutam orationem versibus praetulissent, Bohuslaus Hassensteinius a Lobkowicz primus poeticam artem cum oratoria exercitatione coniunxit. Carminum enim et operum oratoriorum ab eo compositorum paene par numerus ad nostram aetatem servatus esse cognoscitur, siquidem duo volumina post eius obitum typis impressa, *Farrago poematum* et *Lucubrationes oratoriae*, haud ita multum magnitudine inter se differunt. Qua ex re elucet Hassensteinium eandem fere operam in prosa et poesi colenda consumpsisse aequatisque viribus in utroque laudis et gloriae campo elaborasse. Quos tamen conatus num par quoque fortuna secundarit, in hac commentatione disputabimus.

Plurimae sunt Hassensteinii epistulae, quarum tres operum verorum loco habentur, quod solitam epistularum brevitatem excedunt neque privata continent, sed publica, quae auctor non solum eos, ad quos hae epistulae datae sunt, verum quam plurimos homines ingenuarum artium peritos scire voluit. Sunt autem in hoc numero litterae ad Christianum Camenicenum de urbe Praga, ad Vladislauum regem de restituendo in Bohemia sacerdotum ordine, ad Petrum Rosensem de re publica administranda, quae omnes nuper in uno volumine editae sunt.<sup>1</sup> Huc opera moralia iam pridem vulgata accedunt,<sup>2</sup> quorum potissima *De miseria humana* et *De avaritia* inscribuntur.

Sed cum hoc primum ab oratore exigatur, ut materiam bene disponere et distinguere sciatur, longe ab illa oratoria laude recessisse videtur Hassensteinius. Quod Josephus Truhlář recte intellexit, qui cum hoc opus, quod est de miseria humana, sub acumen iudicii sui vocasset, conturbatae dispositionis nonnulla documenta invenit.<sup>3</sup> Neque huic viro docto B. Ryba adversatus esse videtur, qui in diversis Hassensteinii operibus eosdem antiquorum auctorum locos inveniri posse ostendit. Qua re cognita ingenium auctoris nostri certis finibus, angustis sane, terminatum esse affirmavit ipsumque non magnam in disponenda materia et eligendis exemplis diligentiam adhibuisse censuit, quippe qui de miseria humana,

<sup>1</sup> Bohuslai Hassensteinii a Lobkowicz Epistulae, Tomus I: Epistulae de re publica scriptae, ediderunt J. Martínek et D. Martínková, Lipsiae 1969. Quod volumen editionem principem epistulae ad Petrum Rosensem in pp. 28–69 continet.

<sup>2</sup> Vide Enchiridion renatae poesis Latinae 3, Pragae 1969, p. 200–201, num. 2. Librum quaere in bibliothecis sub Bohemico titulo Rukovět humanistického básnictví.

<sup>3</sup> J. Truhlář, Humanismus a humanisté v Čechách za krále Vladislava II., Pragae 1894, p. 59.

de avaritia, de optimo genere principum disputans iisdem antiquitatis historiis uteretur.<sup>4</sup> Nec vero, cum litteras ab eo de urbe Praga compositas nuper examinaremus, qua ratione eum contra haec obiecta defendere possemus, reperire contigit. Pragae enim descriptionem cum rebus in hac urbe gestis confundit neque dat operam, ne digressiones a proposita oratione in longum crescant. Nam et, dum ferociam incolarum Pragensium incusat, nimia indignatione commotus vulgi seditionem Vladislai temporibus factam longius, quam par erat, repetit et Pragae historiam narraturus mox ad res toto regno gestas deflectit neque his contentus Aeneam Silvium, qui Bohemorum chronica scripsit, brevitatis et nimiae credulitatis arguere conatur. Sed tantum abest, ut hoc iudicio prolato ad propositum redeat, ut etiam post haec verba operi suo finem imponere non dubitet levemque curam gerat, qua ratione eiusmodi peroratio ad institutum sermonem spectare videatur.

Missam facio orationem, quam se pro Petro Schotto in contione civium Argentiniensium habuisse finxit Hassensteinius,<sup>5</sup> ne ea, quae tenerae aetatis erant, plus aequo castigare videar. Hoc tantum exempli gratia memorabo, Hassensteinium non veram et genuinam oratoriae facultatis et ingenii, quod in Schotto erat, imaginem praebuisse, sed hoc potius consilio de eius oratoriis virtutibus scripsisse, ut semet ipsum praecepta rhetorum non ignorare demonstraret. Inde enim illud: *Quali vero stilo et gravitate in scribendo uti soleat, quis est, qui satis digne explicare posset? Non illum varietas rerum confusum, non simplicitas fastidientem reddit nec in tenui atque humili materia exsanguis ac iejunus est; in copia vero ac magnitudine non turgescens ac vastus exit, verum semper citra tumorem plenus et lenis citra molitatem permanet nec luxuriose effluit nec nimia sterilitate tabescit, in asperis rebus non salebrosus nec languens in molibus, non violenta et coacta oratione subsultans, non ita tamen copiosus, ut nimius, neque ita suavis, ut lascivus, neque adeo lenis, ut remissus, non sic tristis, ut horridus, neque ita simplex, ut nudus, nec ita compitus, ut affectasse compositionem videretur, par verbis materiae, par sententiis rebus. Dies me profecto deficeret, si omnes orationum suarum virtutes enumerare vellem.*<sup>6</sup>

Sed quo modo talibus laudibus dignus erat is, qui vixdum absoluto studiorum suorum cursu haud ita multis operibus censebatur? Quid autem de eo oratore dicendum esse putemus, qui, cum nullam inveniat materiam dignam, quae oratione illustretur, vanae ostentationis studio ductus verba aliunde commodata sine ullo discrimine aut veritatis respectu afferat? Eius certe oratio teste Cicerone inanem quandam habet elocutionem et plane puerilem. Quod etiam de epistula ad Petrum Rosensem quodam modo dici potest. Huic enim exemplar optimi principis ob oculos ponitur, qui diutissime in re publica versatus ab Hassensteinio, homine harum rerum inexperto et rudi, talia consilia minime exspectabat. Et cum officio proregis cessurus esset Petrus, festinasse etiam videtur Hassensteinius, ne, cui consilia daret, mox non haberet. Ne alios quidem lectores docere et informare potuit, quippe qui talem orationem composuisset, quae non boni principis speculum, sed incondita quaedam antiquarum historiarum congeries esse videretur. Rerum enim tune temporis gestarum mentiones, quae nobis gravissima testimonia historica sunt, nihil Hassensteinii aequalibus novi afferebant et de exemplis antiquitatis aliunde melius doceri potuerunt.

Neque dubitare licet, quin Hassensteinius se plura ab aliis, quam in scriptore ferendum est, accepisse minime ignorarit. Quare fontes suos, prout id affectatae

<sup>4</sup> B. Ryba, LF 58, 1931, p. 425.

<sup>5</sup> Enchiridii (vide notam 2) vol. 3, p. 200, litt. b.

<sup>6</sup> Spisy Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic I, edidit B. Ryba, Pragae 1933, p. 94 sq.

eruditionis famae servire potuit, memorabat, ceteros vero locos silentio praetermisit, ut aliunde minus, quam re vera sumpserat, sumpsisse videretur.<sup>7</sup> Ab Aenea Silvio ipso, quem ignoratae historicorum artis incusare non erubuit, multa commodata habuisse cognoscitur neque ea ad gentium modo historiam spectantia, sed etiam ad Bohemiae regnum ipsamque regni metropolim Pragam.<sup>8</sup> Quare, quae propriis oculis spectare et a maioribus accipere poterat, ex peregrini scriptoris narrationibus petiit, cum videlicet suis aliena praeferret et importatis adventiciisque magis quam domesticis ac propriis delectaretur.

Neque tamen omnes Hassensteinii libros laude oratoria spoliandos, sed unum certe opus excipiendum esse dixerim. Est epistula ad Vladislauum regem anno 1497 de restituendo sacerdotum ordine scripta, quae multa hominum, quibus bonaes artes cordi erant, praeconia iure meruit. Neque iudicium Augustini Moravi aut aliorum auctoris nostri aequalium memorabo, qui in adulationem fortasse proni non omnia ex vero proferebant, sed Venceslai a Wrzesowicz, qui Thomae Miti hoc opus ob quasdam Hussiticae religionis contumelias opprimere cupienti offensus *Quam mihi nuper, inquit, legendam trutinandumque obtulisti Hassensteynii nostri ad Wladislauum regem Bohemiae epistolam, quantum per ocium licuit, diligenter perlegi ac neque inconsiderate nec oscitanter locos abs te illic asteriscis notatos, quos vel duriores vel periculosiores putasti, excussi. Ea autem mihi videtur huius epistolae gravitas, tam concinna narrationis series et in ea iucunda historiarum et rerum maximarum varietas, tam artificiosa tacite sese insinuandi et aperte modesteque commonendi principis scientia, tam florida styli cum exquisitissima verborum proprietate de palma quasi certantis elegantia, ut prorsum dubitem, luseris an serio rem egeris, qui me, an inter caetera huius opera cuius debeat, interrogaveris... Ego, dum accuratius hanc verso, dicere bona conscientia ausim me nescire, an unquam viderim a quoquam ullum simile editum scriptum, quod in ea qualicunque narratione tot tantasque res gestas tantorumque principum tot historias, tot summa consilia horumque exempla et comprobationes gravissimas cum exquisita dicendi arte in tam paucas comprehenderit paginas. Si cui delicatori materia scripti displicet, fieri non potest, ut pulcherrima illa et artificiosissima narrationis series displiceat. Nam si artem dicendi solam ac conatum illum persuadendi vere rhetoricum, si totum denique sermonis contextum ob oculos sumseris, nescio, quo animo hanc recicere poteris.*<sup>9</sup>

Quod praeconium maius cogitari potest? Neque mihi quicquam contra ius fasque adfictum et exaggeratum esse videretur. Sed si quaerat quis, quo modo fieri potuerit, ut Hassensteinius aliquando nimis ab instituto sermone digrediens et parum propositi tenax et suis aliena anteponens talem orationem, quae iure perfecta videretur, componeret, materiae gravitatem causam esse dicamus. Nam cum in ceteris commentationibus vanae interdum laudis et gloriae cupiditate ductus specimen eloquentiae et eruditionis lectoribus proponere vellet, hac oratione causam apud principem egit, qua nihil maius, nihil gravius, nihil rei publicae utilius existimabat. Neque nunc quaerere volumus, num sententiam suam regi probare potuerit. Hoc enim solum maximi momenti erat, quod se rectam in suadendo et hortando viam ingressum esse confidebat, quae conscientia fons eloquentiae haberi potest, siquidem iam antiquitus notum erat argumenti magnitudine causaeque integritate et praestantia orationem quoque magnam illustremque fieri. Etsi regem ad renovandas sacerdotum dignitates et stabiliendam in Bohemia

<sup>7</sup> Ibidem, p. 23 sq.; D. Martíková, LF 89, 1966, p. 301 sq.

<sup>8</sup> Epistularum tom I. (vide notam 1) p. 1–7, 9, 10. De Hassensteinio Aeneam Silvium in operibus moralibus imitante B. Ryba, LF 58, 1931, p. 268.

<sup>9</sup> Lucubrationes oratoriae, Pragae 1563, fol. a 1ab. Scribendi normam in Enchiridii (vide notam 2) volumine 1, p. 8 laudatam in his verbis edendis tenuimus.

fidem Romanam impellere non potuit, id tamen vi eloquentiae suae apud posteros impetravit, ut orationem suam quamvis vituperationibus domesticae religionis plenam tamquam rarissimum eruditae eloquentiae monumentum arte typographica imprimendam curarent hocque modo ab iniuria oblivionis defenderent.

Mirabitur fortasse aliquis nos epistulam ad Vladislauum tanti facere, cum manifestum sit in hac quoque multa inesse, quae antiquitatem redoleant.<sup>10</sup> Neque tamen hoc in Hassensteinio vituperandum esse arbitror, quod nonnulla ex operibus Ciceronis aut Sallustii aut aliorum eruditae vetustatis auctorum mutuatus est. Vix enim aliter scribere poterat, siquidem aureae Latinitatis libros diurna nocturnaque manu versare solitus est, e quibus invitus etiam multa in orationem suam transferebat. Ceterum erat optimae antiquitatis sermo Latinus ad subtiles et difficiles sententias exprimendas aptissimus, quippe qui in longis etiam sententiis periodis bene dispositus et perspicuus remaneret. Hoc potius castigare voluimus, quod auctor noster in operibus moralibus et in aliquot epistulis non ita semper, ut materia poscebat, sermonem instituit, sed eo potius detorsit orationem, ubi se historiis ex antiquitate petitis et narrationi suae insertis enitere posse sperabat. Quo tamen modo opus bene distinctum et ordinatum existere non potuit.

Quae cum ita essent, minime tamen haec scripta moralia a posteris legi sunt desita. Quamquam enim inanis iactationis studio nonnihil depravata erant, multis, qui post Hassensteinium secuti sunt, auctoribus exemplo esse potuerunt, qui, cum non admodum ingenio pollerent, nihil tale propriis viribus et suo Marte aggredi audebant.<sup>11</sup> Neque defuerunt, qui Hassensteinii opus, quod est de miseria humana, 17. saeculo typis recudendum curarent.<sup>12</sup> Minime vero negare velim nostra etiam memoria Tiberium Kardos Hassensteinii opera moralia magni aestimasse sententiis gravitatem non mediocriter esse admiratum.<sup>13</sup> Neque dubitare licet, quin etiam inter congestas undique narratiunculas, ex quibus libros suos in modum operis tessellati componere solebat Hassensteinius,<sup>14</sup> nonnulla ab eo facete dicta nitere possint. Est tamen, ubi operibus moralibus epistulas eius privatas anteferam, quae quo secretiores sunt, eo minus praeceptis rhetorum astringuntur.

Prosa absoluta, quid de carminibus statuendum esse videatur, iam deliberare oportet. Et primum quidem carmina longiora ad rhetorum doctrinam diligenter accommodata et antiquis hominum locorumque nominibus repleta eodem, quo scripta moralia, loco ponemus. Neque enim aliud iudicium prolatus esse videtur is, qui partem carminis contra Turcas scripti legerit, in qua poeta regem Hispaniae sic alloquitur:

*Tu quoque rex, cuius magnas Tartessia tellus  
admiratur opes, quo principe nuper habenas  
excussit Baetis Libycas, educis in arma  
cur non occidas gentes Sicorimque Tagumque  
Herculeum? Cur non quam primum traicis aequor  
classibus et subigis Numidas legesque Tuneto  
imponis sacraeque crucis mysteria pandis  
Aethiopum populis et qua Garamantes et Indi  
extremas habitant oras divisaque mundo est  
Taprobane? ...<sup>15</sup>*

<sup>10</sup> Epistularum tom I. (vide notam 1) p. 16, linea 20–21; p. 23, linea 18–19; alibi.

<sup>11</sup> Cf. LF 74, 1971, p. 219.

<sup>12</sup> Spisy (vide notam 6), p. 17.

<sup>13</sup> Česká literatura 9, 1961, p. 308sq. (pars operis A magyarországi humanizmus kora appellati Budae anno 1955 editi in Bohemicum sermonem translate).

<sup>14</sup> Spisy (vide notam 6), p. 24.

Quam longe a proposito auctor aberravit! Nam nisi in iis, qui deinde sequuntur, versibus Mahometis mentionem faciat, quis intellegere possit regem Hispaniae hoc carmine admoneri, ut una cum ceteris Europae principibus Turcas, communem Christianorum hostem, aggrediatur? Nec dissimili modo depravatum est *De propriis Germanorum inventis carmen*<sup>16</sup> et quaedam alia multis versibus constanta, quae enumerare supervacaneum est, siquidem in libro Josephi Truhlář iam satis tractata sunt.<sup>17</sup>

Longiora tamen huius generis poemata rara admodum in Farragine operum Hassensteinii inveniuntur eam potissimum ob causam, quod poeta ipse animadvertisit tutiorem sibi viam ad epigrammata et alia breviora carmina patere.<sup>18</sup> At, di boni, quot et qualia scripsit! Quam acute, quam iucunde, quam breviter cogitationes suas et animi motus exprimere potuit! Quam fortiter et constanter opera sua et famam contra eos, a quibus irritatus erat, defendit! Huius generis sunt versus, quos in Hieronymum Balbum, in Victorinum Chrudimenum, in interpretem suorum carminum scripsit. Neque hoc discernere cupimus, utrum iustum semper causam his egerit, an ulterius, quam hominem eruditum decebat, in ulciscendis iniuriis provectus esse videatur. Vis magna certe in his carminibus inest. Neque acerbitate quadam carent, quae propria est vatum per irrisiōnēm vituperantium. Sed cum poeta noster omnia ex aequo perpendere vellet, haud ullo modo ab animo impetrare potuit, ut ea, quae sibi ignominiae esse sentiret, apud amicos dissimularet et reticeret. Nam et religionis Hussitiae, quam falsam esse existimabat, se quandam studiosum fuisse non negavit<sup>19</sup> et mentem suam, cum nulla iniuria lacessitus esset, nimia tamen ira aestuare fatebatur.<sup>20</sup> Quae carmina sinceritate, integritate, fide probentur necesse sit, etiamsi nullus verborum ornatius, nullum modorum lumen accedit, quae tamen omnia pariter adesse nemo deneget. Nec vero, cum Romanae fidei deditus esset Hassensteinius, sacerdotum et pontificum scelera silentio tegere volebat, sicuti ex versibus, qui ad Victorinum Chrudimenum scripti esse creduntur,<sup>21</sup> cognoscimus. Quo carmine fidem suam puram et simplicem ab eorum, qui ecclesiae praeerant, criminibus abhorrentem declaravit:

(*De Alexandro summo pontifice*)  
*Dicis Alexandro caelum venale polosque  
 ipse simul versu et relligione malus.*  
*Vendat Alexander sane caelestia, sed tu  
 non ob Alexandrum Tartara nigra petes!*  
*Congreget is nummos, ut vult, Petreia navis  
 tuta tamen Christi numine semper erit  
 nec metuit ventos nec ponti murmura portum  
 et tanget Stygio vel prohibente cane ...<sup>22</sup>*

Sed cum multis breviorum carminum generibus et argumentis mirum quantum floruerit Hassensteinius, illa tamen optima esse videntur, quae ad rem publicam

<sup>15</sup> *Farrago poematum*, Pragae 1570, p. 2. In Hassensteinii verbis ex Farragine edendis ea instituta tenui, quae in epistularum volumine primo (vide notam 1) explicantur. Aliter verba Venceslai Wrzesovicii edideram; cf. notam 9.

<sup>16</sup> Appendix poematum, Pragae 1570, p. 247.

<sup>17</sup> Hoc opus in nota 3 memoratur.

<sup>18</sup> *Farrago poematum*, Pragae 1570, p. 142.

<sup>19</sup> *Ibidem*, p. 186.

<sup>20</sup> *Ibidem*, p. 50.

<sup>21</sup> J. Truhlář (vide notam 3), p. 52.

<sup>22</sup> *Farrago poematum*, Pragae 1570, p. 158.

pertinent. Quam acute et vere regnorum discrimina et diversitates vidit,<sup>23</sup> quam fortiter et strenue patriam vicinorum iniuriis expositam defendit,<sup>24</sup> quam aperte et audacter Vladislai temporum vitia detexit,<sup>25</sup> quam assidue et vehementer rei publicae pericula praecavenda monebat. Neque regem Vladislauum hortari et obsecrare destitit, ut posita ignavia acriter et strenue regiis munieribus fungetur. Et quamquam ne his quidem animum principis ad tuendas rei publicae partes flectere potuit, haud ignobile nobis documentum studii et ardoris reliquit, quo patriae prodesse cupiebat, cum recte intellegerer ordinatum rei publicae statum ad unius cuiusque incolae securitatem necnon ad hoc, quo ipse frueretur, litteratum otium pertinere.<sup>26</sup>

Desiderabit fortasse lector specimina carminum. Quae tamen plurima iam tum typis exscripta sunt, cum a nobis disputabatur, quas opiniones Hassensteinius de patria ac de regibus Hungariae et Bohemiae habuisset.<sup>27</sup> Ne tamen haec commentary pars plane exemplis destituatur, unum saltem epigramma adiungam, quo poeta pugnandi cupiditatem civium vix in pace vitam tolerantium facete irrisit:

*(In oppida Bohemica)*  
*Conveniunt passim populi saevumque minantur*  
*atque enses acuunt et fera bella parant.*  
*O stultos! Victum vix querunt tempore pacis*  
*et tamen insano Martis amore calent.<sup>28</sup>*

Si carmina in universum aestimemus, ea meliora esse dicamus, quae Hassensteinius sibi familiaribusque suis scripsit et intra domesticos parietes premere voluit, quam ea, quae iuris publici fieri aut ad remotos amicos mitti passus est. Illa ex intimo corde profluxerunt, in his potentium dignitas saepe respicienda erat. Sed quia haud ita multis carminibus gratiam principum aucupabatur, plurima ea sunt, quae incorruptam mentis et opinionum eius imaginem praebere possint. Quo in numero nonnulli etiam versus de re publica compositi habentur. Neque enim omnia, quae de Vladislai segnitie scribebat, ad ipsum mittenda erant. Quamquam comitate et mansuetudine excellebat rex, vix tamen colloquium suum cum Fortuna ab Hassensteinio fictum<sup>29</sup> aut alia eiusmodi carmina sine manifesta animi offensione lecturus esse videbatur.

Quare, si omnia, quae supra exposuimus, in unum conferre velimus, Hassensteinium melius de poesi quam de oratoriis studiis esse meritum iure nobis contendere liceat. Qua opinione haud ita multum a Josepho Truhlař dissidemus,<sup>30</sup> nisi quod ille quaedam carmina aliter aestimat.<sup>31</sup> Hoc autem de carminibus et prosa communiter dicere possumus, ea opera optima esse videri, quae minime lectorum plausum exspectabant. Nam si doctrinae, multarum litterarum, eloquentiae, acuminis famam venabatur auctor, non semper scripta cedro linenda composit: causas tamen magnas, argumenta nobilia, rectae voluntatis conscientiam vis et copia dicendi ultiro secuta est.

<sup>23</sup> Ibidem, p. 156.

<sup>24</sup> Ibidem, p. 155 sq.

<sup>25</sup> Ibidem, p. 38 sq.

<sup>26</sup> Ibidem, p. 174 sq.

<sup>27</sup> LF 93, 1970, p. 37—43; Graecolatina et orientalia 1972 et 1974.

<sup>28</sup> Farrago poematum, Pragae 1570, p. 160.

<sup>29</sup> Ibidem, p. 38 sq; cf. LF 93, 1970, p. 40.

<sup>30</sup> Humanismus (vide notam 3), p. 158.

<sup>31</sup> Ibidem, exempli gratia p. 159 (de carmine adversus Turcas scripto).